





1770.

Hg. 23

17345.

DISSERTATIO HISTORICO - POLITICA,  
DE  
**CONCORDATIS NA-**  
**TIONIS GERMANICÆ,**

QVAM  
AVSPICIIS  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
**DOMINI FRIDERICI**  
HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.  
ACADEMIAE  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

PRÆSIDE  
**IOH. ADOLPH. HARTMANNO**  
HIST. ET ELOQ. PROFESSORE,  
IN PHILOSOPHORVM AUDITORIO  
PLACIDÆ DD. COMMILITONVM DISQVISITIONI  
AD DIEM XXV. SEPTEMBRIS MDCCXXXIV.  
PROPONET

**IOH. IVST. CHRISTOPH. KVCHENBECKER,**  
S. TH. & H. C. CARLSHAVIA - HASSVS,  
AVCTOR & RESPONDENS.

MARBVRGI CATTORVM,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR. ET BIBLIOP.

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA  
DE  
CONCORDATIS ET  
DIVISIONE GERMANICAE  
SARINISSIMA PRINCIPIA AC DOMINA  
DOMINI RIDEERICI  
HABERE LANDGRAVII REGIO  
ACADAMIA  
FECOTORIS MAGNIFICENTISSIMA  
PER ESSIVE

JOH ADOLPH HARTRANNO

HABET ET EOD PROLSSORIE  
IN PHILosophORVM AUDITORIO  
TYPICAE DE DUO COUNCIVORVM DILECTORVM  
AD DIEM XXV SEPTEMBRIS MDCCXXII  
PAGOSINT

XCH. IAS. CHRISTOPH. KACHEINBECKER  
ET TAE H COUNCIVIA - HAR  
ANNOR 6 KARONDEN

1620  
JANUS PICTORI SCULPTORI  
JACOB PHILIPPI CARMEN MELLER, AED. TYP. ET PEG.



¶ S. I.

Vanquam Romani Pontifices scriptis  
semper oreque se CHRISTI Vicarios  
& PETRI Apostoli successores, imo  
servos servorum Dei professi sunt, rei-  
p[ublica] tamen & factis longe aliud docui-  
se sunt visi; tantum enim abest, ut re-  
gulam Christi & exemplum ejus, quod  
non debeat imperare fratribus, a) quodque regnum ejus  
non sit de hoc mundo, b) & admonitionem Petri (quem  
primum) sed erronee c) faciunt Pontificem, non turpiter  
affectiones lucrum neque dominantes Clericis d) obseruent,  
ut potius contraria omnia agere, certissimus sit Roma-  
norum Pontificum character.

S. II. Statim enim post CONSTANTINI M.  
mortem dominari Cleris, & reliquos Episcopos precedere,  
mox majora spirare, & EPISCOPI UNIVERSALIS axio-  
ma tota voluntate ambi cooperunt, quod ipsum tandem  
Bonifacio III. a PHOCA Regicida ex odio contra Cyria-  
cum Episcopum Constantinopolitanum, qui ipsius ty-

A 2 rann-

---

a) Luc. XXII. 26. b) Joh. XVIII. 36. c) Etsi enim cum Balu-  
zio concedere velimus, Petrum imperante Nerone Romanum venisse;  
ibique miraculū aliquot patratis martyrio affectum fuisse, ex eo ta-  
men neque 25 annos Papatus a Petro gesti exculpseis, neque eum  
Romanum Pontificem fuisse probaveris. Confer, Weismann, H. E.  
p. 35. & seq. d) 1 Petr. V. 2. & 3.

rannidium improbans eum coronare solebat, in ~~reximum~~  
Coronationis a Bonifacio impetrat~~x~~, concessum est. e)

§. III. Post tempora vero CAROLI M. largis  
**IMPERATORUM** donationibus & concessionibus opu-  
lentiores & potentiores facti, non solum lucrum reditus-  
que suos omnibus modis augere, sed etiam singulare IM-  
PERIUM in IMPERIO stabilire, totis viribus & sapen-  
tia horrendis mediis annisi sunt.

§. IV. Id vero non uno quasi impetu, nec a-  
perto statim marte, sed successu temporis variisque arti-  
bus & machinationibus factum fuisse constat; nam post  
CAROLI M. electionem aliquo tempore sibi ab ipso e-  
jusque successoribus imperari passi sunt. Imperatores Epi-  
scopos constituerunt, Synodos convocarunt, & totum qua-  
si Regimen Ecclesiasticum sine ulla refragatione Pontifi-  
cum administrarunt, imo se Paparum Judices, controver-  
sas eorum decidendo & schismata tollendo, demonstrarunt.  
Sic enim iussu CAROLI M. Francfurti, Wormatia, Parisiis,  
Reginoburgi Saltzburgi, multisque aliis in locis Syno-  
di celebrat~~x~~ sunt, uti & Leo III. Papa, sententiam ferente  
CAROLO M., ab accusatione intentata absolutus est. f)  
Idem Carolus non solum Archiepiscopos, Episcopos &  
Abbes investitivit, sed etiam sedem Apostolicam ordina-  
vit. g). Postea iussu LUDOVICI PII, ut Synodos con-  
vocatas

e) Theophan. Chron. Confer. etiam Platina in Bonifacio III.  
f) Platina in Leone III. dicit, populum quidem & clerum dixisse sedem  
Apostolicam a nemine judicari debere; Leonem tamen id judicium  
expetivisse & consensu cathedra, cum evangelio in manibus jurasse,  
se omnium rerum, quae sibi objecerentur, infontem esse, g.) Signius.  
h) Hist. Magdeb. Annal. Francorum, Platina in Gregorio IV. hoc  
etiam testatur & Imperatorem ideo summis laudibus effert, & cle-  
sum suo tempore tali censura egere affirmat.

vocatas taceam, clerus reformatus, b) LOTHARII I.  
auctoritate SERGIUS II. in Pontificatu confirmatus. i)  
LUDOVICI II. judicio LEO IV. se subjicit, k) & AR-  
NULPHUS Imp. propria auctoritate Synodum Mogun-  
tiæ & paulo post Triburæ eonvocavit: & schisma Sergi-  
um inter & Formosum ortum, hoc confirmato illo vero  
rejecto, sustulit. l) Hinc ergo satis liquet, Imperatores  
haec tenus Papis imperasse, non vero a Papis ulla in ipsis  
Imperatores usurpatum fuisse dominatum.

g. V. Cum autem sub finem Imperii ARNUL-  
PHI, & per totum Imperium Ludovici Infantis, Sarace-  
ni, Hungari aliquie populi Germaniam invaderent, Lon-  
gobardi vero in Italia turbas cierent, & Ludovicus Infans,  
cum ob illa bella, tum ob iuuentutem & socordiam m)  
Pontificum molimina impeditre non posset, illi caput al-  
tius attollere, omnia superbe agere, Ecclesiam turbis im-  
plere, schismatibus populum turbare, impuris famo-  
fissimarum mulierum amoribus sedem Apostolicam occu-  
pare, n) Ecclesiam turbis implere, in se invicem, imo-  
quod horribile auditu, in mortuos savire, o) & ita se ge-

A 3

rere

s) Anastasius. k) C. Nos ff. Caus. 2. q. 7. Nos si incompeten-  
ser aliquid egimus, & subditis iusta legis tramitem non conservavi-  
mus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio;  
& porro: omnia negotia ita eorum legitimo terminentur examine,  
quatenus in posterum nihil sit, quod ab iis indiscutsum vel indetermi-  
natum remaneat. l) Sigon. de reg Ital. l. 6. m) tunc enim tem-  
poris una cum industria Imperatorum virtus & integritas Pontificum  
desciebat. Platina in Formoso. n) Vid. Löschers Römisches Huohren-  
Regiment, qui enormis eorum flagitia & nefanda facinora ex Sigonio  
aliisque scriptoribus Pontificiis prolixius enarrat. o) Hoc imprimis  
restatur Platina in vita Stephani VI. his verbis: refert Martinus,  
Stepha-

tere coeperunt, ut PLATINA scriptor Pontif. eorum vitia alias tegere solitus, scelerum istorum enormitate motus illa graviter perstringat, p) imo illos pontificulos, q) monstra & portenta, a quibus sedes Petri ambitione & largitione occupata verius quam possessa sit, appellare r) haud vereatur.

s. VI. Compositis interim aliquatenus Germaniae motibus, & externis hostibus f) magnam partem oppressis, OTTO M. ut, impotentem jam sui, Cleri animum in ordinem redigeret, & pristinam Imperatorum in omnes majestatem restitueret, præprimis vero Ecclesiæ consuleret, deposito impurissimo nebulone JOHANNE XIII, LEONEM VIII, elegit, eundem a factione Johannis ejectum denuo confirmavit; BE NEDICTUM V. (qui Johanne in adulterio occiso t) Leoni oppositus fuerat) relegavit, u) & in Synodo Romana cum populo Cleroque Romano transegit, ut omnis auctoritas eligendi Roma-

---

Stephanum tanta rabie defecuisse, ut habito consilio corpus Formosi ex tumulo extractum Pontificali habitu spoliatum indutumque seculari sepultura laicorum mandaverit; abscessis tamen prius dextera ejus duobus digitis & in Tiberim proiecisset. Et de Sergio III, scribit: Formosi ab a. ita probavit, ut denuo ad sacros ordines eos admittere necesse fuerit, quos Formosus antea Sacerdotali ordine di-gnos censuerat, neque hanc quidem ignominiam mortuo intulisse contentus ejus cadaver e sepulcro tractum capitali supplicio ac si viveret afficit, corpusque ipsum in Tiberim proicit tanquam sepultura & honore humano indignum. p) ii vero, inquit, largitione & ambitione Pontificatum quarentes, & adepti posthabito divino cultu, non secus ac savissimi Tyranni inimicitiis inter se exercebant, suas volupates posse securius explecturi, cum nullibi extarent, qui eorum viua coicerent. Vid. vitam Sergii III. q) in Romano I. r) in Benedicto IV. & Christophoro I. l) Hungar. præsertim & Saracenis. t) Platina in vita ejusd. u) Plat. in vita ejus.

7

Romanum Pontificem & ordinandi ea, quae ad sedem A-  
postolicam spectant, item Episcopos constituendi Imperatori  
restituantur, omnis vero electio ab Imperatore non appro-  
bata irrita esset, omnesque contra agentes anathematice per-  
cutiendos esse. x) Imo hic ipse Leo VIII, Imperatori re-  
stituit terras Italicas a Papis haecenius possellas; quamvis  
illae tunc temporis a Longobardis occupatae essent. y) Sic-  
que jura & auctoritas Imperatoris quodammodo restau-  
rata sunt.

¶. VII. His etiam juribus ipse & sequentes Im-  
peratores usi sunt, restituit enim ipse Johannem XIV.  
a se mortuo Leone VIII. electum, sed per seditionem de-  
positum. OTTO III. eadem potestate usus Gregori-  
um elegit, & Johannem XVIII. Anti-Papam, a tu-  
multuante populo dein fœde necatum z) depositum.

¶. VIII. Verum Pontifices non diu in officio er-  
ga Imperatores perfliterunt, bellis enim variis Germa-  
niam affligeribus, cum Imperatores HENRICUS II. &  
CONRADUS SALICUS Italiae non adeo invigilare pos-  
sent, maximum schisma Benedictum inter IX. Sylvestrum  
III. & Gregorium VI. exortum est; eo enim, verba sunt  
PLATINÆ, a) tum Pontificatus pervenerat, ut qui plus  
largitione, ambitione, non dico sanctitate viræ & doctrina  
valeret, is tantummodo dignitatis gradum, bonis rejectis &  
oppressis obtineret, cui tandem malo Henribus III. sua au-  
toritate finem dedit, electo Clemente II. Damaso, Le-  
one IX. & Victore II. b) sicque jus Imperatoris conserva-  
vit & ultimus Imperatorum Pontificum vesaniam repres-  
sit. §. IX.

x) Decret. distinet. 63. 1) Crantz Saxon. I. IV. cap. 10.  
z) Crantz Saxon. I. IV. c. 24. a) in Sylvest. III. b) Platina,  
Avent. Crantz,

§. IX. Hoc enim satis functo cum Henricus IV. admodum juvenis ad Imperium pervenisset, & initio quod bona educatione careret, inordinatus vixisset, Pontifices, hac occasione arrepta, maximas in Germania turbas excitarunt, Imperatorem, praetextu Simoniae (quæ si Pontificiorum ipsorum verbis uti licet, juris humani ad summum appellari poterat, & Pontificum dispensationi nunc etiam subest) cum de jure suo in Episcopos nil cedere vellet, saepius excommunicarunt, variis artibus eum exagitabant, & cum aperta vi eum everttere non possent, detestando facinore, filii ejus propriis contra ipsum excitatis, Imperio eum nefarie & proditorie spoliarunt. Primus, qui talia ausus est, fuit Gregorius VII., homo ad artes politicas factus & factus, qui cum per vim & fraudem sedem Pontificiam occupasset, Imperatorem nulla in Synodo accusatum excommunicavit, multaque nefanda, quæ enumerare longum esset, perpetravit. c) Hæc vero & alia sequentium Pontificum contra hunc Henricum molimina signillatim enumerare mei jam non est instituti, quoniam Viri doctissimi CELEBERRIMUS DITHMARUS in vita GREGORII VII., & CLARISSIMUS DN. PRÆSES in VITIS sequentium aliquot PONTIFICUM iis de rebus plura scripsere, quorum laboribus aliquid addere supervacaneum existimo.

§. X. Hæc quidem turbæ abdicatione & morte HENRICI IV. aliquantulum sopita videbantur, sed paulo post sub HENRICO V. recruduerunt. Cum enim Papa PASCHALIS II. jura imperii sibi vindicaret, transactionem cum Imperatore summa cum libertate factam & ad Imperii salutem, pacemque, multa cum sa- pientia

c) Vita Gregorii VII. a Card. Bennone descripta, Abbas Ursip.

pientia directam ipse violaret, ab Imperatore ad pactum solenne compulsus est, quo ipse Papa jurejurando confirmavit, *Jus investituræ Sacerdotum cum annulo & baculo Imperatori liberum esse debere*, atque in hujus rei testimonium hostiam consecratam fregit, unamque partem ipse sumxit, alteram vero Imperatori dedit, diris hisce verbis subjunctis: *sicut pars hæc vivifici corporis Christi divisa est, ita divisus sit a regno Christi, qui pactum hoc violare tentaverit.* Sed bonus iste Papa, abeunte vix Imperatore se statim legitimum & quasi primogenitum filium patris mendacii demonstravit, quoniam omnia illa pacta horrendis imprecationibus firmata, quæ servatrum sese simularat, ipse per alios, & in publicis conventibus & in privatis occasionibus, rescidit, damnavit, & ipsum Imperatorem excommunicavit: demum, sui quasi incertus, cum nova pactione rem se compositurum simularet, &, ut redeuntem in Italiam sibique minitatem HENRICUM V. placatum nanciseretur, eum ab excommunicatione liberaret; efflavit animam. d)

f. XI. Successores ipsius vestigia ejus fideliter presserunt, suisque machinationibus HENRICUM V. eo compulerunt, ut tandem Calixto II. jus eligendi & confirmandi Episcopos, atque ita etiam eligendi & confirmandi Papam, quo Germanorū Reges a Carolo M. hactenus usi fuerant, cederet, ita tamen ut Episcopi Regalia ab Imperatore acciperent, e) quæ concessio Pontificibus ad omnem nequitiam libere perpetrāndam, latissimum & amplissimum patefecit campum, ut deinde ni-

B

hil

d) De his omnibus confer, Abbas Ursip. Aventinus & Clar. D. Bæfid. Vita Paschalisi II. Gelasii II. & Calixti II. e) Ursip. Sigebert, Frising, c. 16.

hil plane intentatum relinquenter, maximas in Ecclesia turbas per creberrima schismata f) darent, per aliquod tempus libere in Episcopos dominantes, quos vellent, constituerent, vel rejicerent, ipsum IMPERIUM ROMANUM, beneficium, a Papis REGIBUS Germania collatum, jaclarent & Imperatorem Vasallum Papæ dicerent; imo quod detestandam eorum superbiam & arrogantium abunde testatur, LOTHARIUM II. coram PAPA in genua procidentem & quasi homagium praestantem in Laterano palatio depinxissent, g) adscriptisque hisce versiculis:

*Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,*

*Post homo h) fit Papæ, sumit quo dante Coronam.*  
Imperatoris dignitatem, non a Papis, sed jure armorum i), jure cessionis ab IRENE Imperatrice, k) ejusque successore Nicephoro, & denique jure Electionis a S. P. Q. R. acceptam l) & a CAROLO M. partam, feudum Pontificis

---

f) Quibus Imperator, quoniam jure confirmandi Papam cesserat, mederi non poterat. g) Crantius Metrop. L. V. c. 35. h) id est Vasallus. i) Devicto nempe Desiderio Longobardorum Rego. Confer. Sigon. I. 3. de reg. Ital. k) Illa enim missis legatis ad Carolum M. ipsi totum Occidentis Imperium concessit. Crantius etiam Saxon. Lib. II. cap. 18. testatur: *Irenem coronato in Imperatorum Carolo oratores ad ipsum mississe, & pacem cum eo fecisse, Nicéphorum etiam fœdera illa confirmasse.* l) Siegerbertus his verbis illud testatur: *Romani qui ab Imperatore Constantinopolitano jam duadum desceiverant, nunc accepta occasionis opportunitate, quia mulier excoecato Imperatore Constantino, filio suo, eis imperabat, unanimi omnium consensu, Carolo Regi Imperatorias landes acclamant, cumque per manus Leonis Papa coronant, CÆSAREM & AUGUSTUM appellant, PIPINUM vero ejus filium REGEM ITALIE ordinatum collaudant;* Aventinus, Marianus Scotus & Onuphrius idem fore affirman;

fici facere vellent, qui tamen nullum plane jus in Imperium habuerunt. IMPERATOR FRIDERICUS I, machinationibus Paparum, quoniam illi pomæria sua semper proferre conabantur, obviam ire constituit.

§. XII. Ideoque non solum nova hæc Papæ postulata rejecit, & quoniam Pontifices nunquam contenti semper majora postulabant, sed Imperatoris dignitatem labefactare conabantur, etiam acta Henrici V. utpote Imperatoris dignitati contraria, rescidit; imprimis vero Adrianum IV. reprehendit, quod Imperium beneficium Pontificis dixisset, & exercitu ipsum castigaturus contra eum contendit, qui vero sibi metuens, verba illa longe aliter ac usu recepta erant explicavit, & coronationem Imperatoris tamen beneficium esse sustinuit, m) sicque pax restituta ad breve tempus duravit, paulo post a Papa prelio corrupto n) violata, & quod ille homagium ab Episcopis Italæ Imperatori praestandum esse nollet, Imperator ab ipso excommunicatus est, quæ tamen turbæ interveniente Adriani, musca suffocati o) morte, interruptæ quidem, non vero penitus sublatæ sunt.

B. 2

§. XIII.

m) Functi Chronol.; n) Ita enim de eo scribit Abbas Urspergenensis: *Eo tempore conspiratio facta est contra Imperatorem, ut asserit quidam scriptor Cremonensis, idemque testatur, bac se audivisse, a viris probatissimis & veracissimis & valde religiosis, Mediolanensibus & Brixiensibus, qui se huic coniurationi interfuisse dixerunt, in qua conjuratione se adstrinxerunt maxima pars Cardinalium sedis Apostolicae; Wilhelmus quoque Rex Sicilia, & pene universitates Italiae, cum multis Baronibus & viris potentibus, data que est immensa pecunia Domino Hadriano Pape, ut ipse Imperatorem excommunicaret.* p. 301. o) Confer. Urs. p. 302, qui substantiam & plane extraordinariam Adriani mortem, speciali Dei iudicio adscribere non veretur.

§ XIII. Cum enim duo simul Pontifices a Cardinalibus eligerentur, & Imperator pro antiquo jure, ut schisma tolleretur, utrumque ad se venire juberet, ut a prudentibus viris addisceret, cui electio potius obedire debet; Victor II. ad Imperatorem venit, Alexander vero III. accedere contempsit, tunc a plurimis Episcopis, reprobato Alexandro, Victor verus Ecclesiae Romanæ presul judicatus, p) & ab Imperatore confirmatus est. q) Quamobrem Alexander Anti-Papa & Imperatorem & Papam excommunicavit, r) & seditione facta varios in Imperatorem populos concitatavit, victus sape & fugatus tandem ope Clavis Venetorum, Imperatoris classem vicit, unde Imperator, ne Saraceni res Christianas in Asia penitus delerent, pacem cum eo fecit, ipsumque legitimum Papam agnovit, quem tamen perfide cum eo egisse, ipsumque in Asia contra Saracenos militantem, Sultano prodidisse aliqui scribunt. s) Egregius scilicet rei Christianæ defensor.

§ XIV. Interim aliquandiu pax Imperium inter & Sacerdotium fuit, donec Otto IV. ademtas ab Imperio provincias, a Papis possessas, eidem rursus asserere vellet, tum enim Innocentius III. maximas contra eundem turbas excitavit, & excommunicatum s) per Principes Germania, Imperio dejecit, n) & Fridericum II. coronavit. Cum vero nec hic omnes Italiam provincias, quoconque titulo a Papa occupatas, ipsi relinquere, nec expeditionem in Asiam statim inire vellet, sapius ab illo excommunicatus,

p) Videatur Abbas Ursip. p. 303. q) Platina in Alexandre III.  
r) Platina. s) Hedonis hist. Eccles. Functi Chronolog. t) Hoc etiam Platina testatur, sed jure factum asturmat. n) Tritheimius Chton.

tus, *x)* variis modis exagitatus, multisque contra eum excitatis hostibus Germania & Italia bellis misere dilacerata fuit, *y)* quæ turbæ etiam sub filio ejus CONRADO perdurarunt, donec tandem post mortem Conradini, Neapoli scelesto, quod non pauci memorant *z)* CLEMENTIS IV. consilio occisi, in interregno, ubi nomen tantum Imperatorum erat, abruptæ sunt, Papis interim pro libidine grassantibus & varia ratione ambitionem dominatumque suum stabilientibus.

§. XV. Unum saltē ut adducamus exemplum, Bonifacius VIII. circa hæc tempora sedem Pontificiam fraude occupavit, Imperium supra omnes Principes sibi arrogavit, omnia arroganter & ambitiose egit, & denique Jubilæum corradendis divitiis instituit. *a)*

§. XVI. Tacentibus tamen ad ea Imperatoribus pax perduravit ad tempora usque Ludovici Bavari, cum enim is a quatuor Electoribus electus, *b)* Fridericum Austriacum a tribus electum amulum haberet, Papa Johannes XXIII. *cum præter jus & fas c)* excommunicavit, & bellis, quæ amica compositione finiri potuissent, somitem subministravit, unde tota Germania bellis misce-

*x)* Annales Suev. Trithem. Ursip. varia contra hunc Imp. Paparum molimina describit, ipsumque injuste excommunicatum profiteretur, inter alia dicit Gregorium nonum, *tanquam superbum, excommunicasse Ludovicum, pro causis frivolis & falsis, & postposito omni ordine judicario p. 336.* *y)* vid. Paraleip. ad Abbatem Urspergensem. *z)* Crantz, iidem in Paraleipomenis p. 12. Chron. Carionis. *a)* vid. Platina in vita Bonifacii VIII. qui meritum eum laudibus extollit. *b)* Paraleip. ad Ursip. ubi tota Ludovicus cum Papis controversia describitur. *c)* Prætextu quod absque auctoritate Romanæ sedis se Imperatorem gessisset. vid. Platina in Clemente V. & Johanne XXIII.

re vastata fuit, ut interim Pontifices in Italia eo liberius dominarentur, Imperium Germanicum debilitarent, suam vero potentiam in dies augerent, successores Johannis excommunicationem contra Ludovicum confirmarunt; & CLIMENS VI. eo vesania progressus esse dicitur, ut aperite pronunciaverit neminem legitimum esse posse Imperatorem, nisi Imperium a Papa tanquam feudum acciperet, sive haud secus ac tentator ille d.) regna mundi, in qua tamen nullum jus habebat, se possidere, & cuiuscumque vellet, dare posse jactavit, sed hoc Pontificis decretum a Principibus rejectum est. e.) Interim tamen Pontifex anno 1346. Imperatorem denuo diris omnibus devxit, variisque artibus & minis aliquot Germaniae Principes per novum Archiepiscopum Moguntinum f.) eo compulit, ut Carolum, Bohemia Regis filium, contra Ludovicum eligerent: qua tamen electio in conventu Spirensi paulo post ab Imperatore Ludovico convocato, a plurimis Germaniae Statibus improbata est, Ludovicus vero Imperii axioma ad mortem usque, anno 1347. sequentem turbisque finem dantem, retinuit. g.)

§. XVII. Imperante vero Carolo IV. Bohemorum Rege & filio ejus Wenceslao, cum neuter res Imperii Germanici admodum curaret, nec artibus Paparum prouirili resisteret, prizprimis vero Carolus ipsi omnia concederet, b) ipsi dominatum suum latius extenderunt, sedem, quam vocant Apostolicam, per vim & fraudem oc-

d.) Matth. IV. e.) In conventu Francofurtensi, 1343. celebrato. vid. constit. Imperii. f.) Papa enim hunc, deposito quod Imperatori adhaereret priore, nuper Archiep. fecerat. Confer Paraleip. ad Urs. g.) De his omnibus vid. Conf. Imp. Aventinus, Trithemius, Platina & Onuphrius. b.) Chron. Carionis.

cuparunt, creberrima & quasi continua schismata fecerunt, i) variisque machinationibus avaritiam & dominandi cupidinem explere studuerunt. Bonifacius enim IX. homo dolosus & avarus, primus omnium annatarum k) tributum constituit, l) multis exactionibus Episcopos reliquosque Clericos vexavit, indulgentias infinitas publicavit, omniaque media pecunias conquirendi; & inextinguibilem auri fidem aliquo modo sedandi adhibuit; Interim summus Pontifex, verba sunt Crantzii m) gratias & indulgentias fecit inauditas, & quam facile dedit, tam facile revocavit, fabulas excitans in orbe Christiano, quod auro

i) Vid. Platina in Urbano VI. & Innocentio VII. k) Anpate dicuntur ab anno, quod scriptores barbati dicunt id, quod unius anni est, aut annum unum aetatis habet, ut eves annatae. Confer. Polydorus Virgilius de invent. rerum l. 8. c. 2. Strauch dissent. exter. dissert. V. §. 17. Hic vero vox annatarum accipitur pro stipendio ejus anni quo sedes aliqua Clericalis, vel etiam beneficium & utr. vocant præbenda (Pfrunder) vacabat, cuius medietas sedi Pontificia penditur. Illud vero stipendum ex jure antiquo erat fisci Imperatoris. l) Platina in Bonifacio IX. unde cum ad Wenceslaum epistola & gravamina universitatim desiderantium Ecclesiæ reformationem, deferentem, edictum Wenceslai prodiit, quod Goldastus ex edito libello Ulrici Hutteni de schismate extinguendo & vera Ecclesiastica libertate afferenda, translatis in Tom. II. Constat. Imperii ad annum 1396. in Gallia 1406, die 18. Febr. in generali parlamento decretum, annatas & primitias preventum e Regno Galliarum non exportandas, & si ob id Papa aliquos excommunicare velit, eos hoc ipso decreto ab excommunicatione esse absolutos. Confer. Goldast. Tom. III. Constat. Imp. p. 410. & seq. Maimbourg L. 3. histoire de grand schisme d'Occident: idem decretum est in Senatus Consulto Parlamenti sub nomine Caroli VI. Regis Francie, contra abusus annatarum aliarumque usurpationum Benedicti, in sua obedientia dicti XIII. die 11. Septemb. 1406. m) Metrop. L. XL. c. 10.

auro expleri non posset. Et a multis Apostolica sedes in contumum venit, nonnullis ad neutralitatem inclinantibus, aliis etiam iustificare cupientibus causam Pontificum in Avenione, quod Urbanus de crudelitate, Bonifacius de avaritia, insigniter notareatur. Et alibi: n) Liberalis ferebatur Bonifacius IX. ad faciendam gratiam supplicantibus, ideo crebræ siebant Episcoporum translationes, o) crebræ indulgentiarum collationes, usque ad fastidium cordatorum virorum, aliquid facere cogebatur preter consuetudinem, ut in schismate tunc currente partes sibi ficeret ampliores; sed non erat in eo finis, quoniam continuatum est post illum.

s. XVIII. Horum malorum cum non esset finis, sed pescatores Romani retia sua, non ad capiendos homines eosque convertendos, sed nummos aureos conquirendos, in dies laxarent, p) schisma longo tempore alerent, q) Itali Gallos & hi vicissim Italos anathemate ferirent; Episcopi cura rerum spiritualium abjecta, secularia tantum tractarent, varia bella ex mera ambitione & avaritia gererent, r) & ita Ecclesiam miris modis turbarent; Sigismundus Imperator peragrata Italia, Gallia, Hispania & Anglia, orbis Christiani Principibus persuasit, ut concilium Constantiense, litibus hisce componendis, motibus Bohemicis sedandis, rebusque Christianis in certum ordinem redigendis indiceretur, s) quo anno 1414. incepto tres quidem Papæ, Johannes nimirum XXIV., Gregorius XII. & Benedictus XIII. a suis vocatus, vel depositi, vel se iplos

---

n) ib. c. 3. passim etiam ejus avaritiam perstringit, quæ omnia recensere non est opus. o) Nimirum annæ eo frequentiores esent, p) Crantz, Metrop. L. XI. c. 24. q) Platina. r) Crantz, Metrop. passim. s) Crantius Saxon. L. X. c. 29.

se ipsos abdicare compulsi <sup>z)</sup>) Hussus & Hieronymus pre-textu hærefoeis combusti <sup>u)</sup> vitia vero cleri, protestante frustra natione Germanica <sup>x)</sup> nequaquam emenda sunt.

*¶* XIX. Martino enim V. contra voluntatem nationis Germanica ante reformationem Cleri electo, cum Imperator eundem urget; ut in concilio de componendis moribus, nimia licentia labefactatis, tam Laicorum quam Clericorum ageretur. Is vero dolorenti ulceris inveterati, si tangeretur, metuens, rem hanc, ut ipse dicebat maxi-mi momenti, variis excusationibus procrastinavit: rem nimurum consilio & maturitate egere, quoniam quæque provincia habeat suos mores suosque sensus, qui sine perturbatione subito tolli non possint. Concilium itaque Constantiensis dissolvit; aliud vero post quinquennium habendum pronunciavit, quod iterum in septennium, mox in decennium distulit, quo elapsi illud Papæ celebrandum indixit, ob ingruentem vero pestem Senas transtulit, sed variis sub praetextibus iterum dissolvit, & Basileam futuro Concilio in sequens septennium elegit, quo sere clauso ipse decepsit. <sup>y)</sup>

*¶* XX. Mortuo Martino Eugenius IV. inejus locum electus, Concilium loco, a Martino electo, ut indicatur in actis conciliorum, C. ceret.

<sup>z)</sup> Plat. acta Conc. T. VIII. p. 843, <sup>u)</sup> Æn. Sylv. & passim hist. Bohem. p. 105. opp. omnium. <sup>x)</sup> Nationem Germanicam, reformationem Cleri, ante electionem novi pontificis uscissæ confirmatur ex MS. Romano edito a D. Schelstrate, ubi inter alia legitur: Cardinales insistebant acceleratione electionis, Rex & natio Germanica quod reformatio præcederet, confer Acta Conc. Tom. VIII. p. 854. protestatio nationis Germanicæ legitur ibid. p. 852. seq. <sup>y)</sup> Platina in Martino V. Acta conciliorum, Chron. Catonis,

ceret, ab Imperatore compulsus fuit z) ut in eo constantius de turbis in Imperio & Ecclesia grassantibus ageretur. Quod Concilium Eugenius etiam bullis suis confirmavit, a) & Juliano Cardinali, bulla etiam a Martino V<sup>o</sup> instructo. b) Concilium illud dirigendi potestatem dedit c) decretum itaque primo in eo est, quod Concilium in rebus fidei & schismatis sit supra papam d) quod etiam usus priorum temporum testatur, quoniam aliquot papae a conciliis depositi sunt, idque paulo ante tribus illis schismaticis e) in Concilio Constantiniensi accidit, quam tamen depositionem sequentes papae suo consensu, vel saltem tacito assensu probarunt, sive Concilium supra papam esse, re ipsa facti sunt.

§. XXI. His vero decretis statim se opponebat Eugenius, & Concilium dissolvere meditabatur, sed Concilium papam aliquoties admonebat, ne Ecclesiam novis inpleret turbis & dissolutionem nullatenus fieri posse contendebat, ag) cum igitur papa aliud Concilium Bononiae celebrare vellet, patres statuerunt unicum tantum eodem tempore esse debere Concilium Basileense vero esse legitimum, quoniam a duobus papis confirmatum & legitime congregatum sit, ideoque non licere, ut aliud illo nondum finito congregaretur. b) quod vero pontifex nihilominus in sua sententia persisteret, ipse gravissime accusatus & a Concilio ut causam diceret aliquoties citatus est. i)

## §. XXII.

z) Aeneas Sylv. hist. Bohem. c. 49. scribit Sigismundum Imperatorem, Bohemis scriptisse sua opera Concilium Basileae ceptum esse, se eos Hortari, ut eo proficiantur &c. a) Act. Conc. Tom. VIII. p. 1113. seq. b) Vid. litera Cardinali Juliani ad Eugenium, apud Aeneam Sylv. p. 66. Act. Conc. Tom. VIII. p. 1121. c) ibid. d) Acta Conc. Tom. VIII. p. 1121. e) Vid. §. 17. f) Confer lit. a Juliano Cardinali ad Eugenium scripta. Aen. Syl. p. 79. g) Act. Conc. T. VIII. p. 1123. h) Ibid. p. 1142. i) Ibid. 1146. 1152, & seq.

520 19

§. XXII. Interiam sessionibus continuatis decreverunt patres: quod ele<sup>ctio</sup> & confirmatio Clericorum, Episcoporum, & Prælatorum non per pontificem, sed per ordinarium patronum fieri debeat, & ut unaquaque Ecclesia, collegium, conventus, sibi eligat prælatum, exceptis quas in terris, Romane Ecclesie, ratione directi sive utilis Dominii, mediate vel immediate subjectis, fieri contingat, & contra hoc decretum papa nihil attinet, nisi ex magna & rationabilis causa & evidenti, in literis apostolicis specialiter exprimenda. k) Præterea decretum est, ne confirmatores sub quovis praetextu pretium a confirmando accipiant, sed notariis tantum pro ratione laboris aliquid detur; pontificem vero hortatur SINODUS, ut pro confirmatione eorum electionum, quas ad eum deferri contigerit, nil penitus accipiat, si Jesus faciendo Ecclesiam scandalizet, futuro deferatur Concilio, Annatas vero sive medios fructus primi anni vacantis officii clericalis capiat ad subventionem sui & Cardinalium, donec aliter a Concilio provisum fuerit: cum autem papa decretis Concilii nondum pareret, iterum ab ipso Concilio accusatus, iterumque citatus<sup>1)</sup> fuit.

§. XXIII. Ille vero citationem hanc parum, vel nihil moratus, spretisque omnibus Basileensium ministris sententiam suam nequaquam mutavit, illitamen sessiones continuarunt, papam denuo citarunt, ipsique formulam adhesionis<sup>m)</sup> prescrisperunt: his tandem rationibus, uti & Sigismundi Imperatoris compellatione<sup>n)</sup> motus,

C 2

Papa

k) Ibid. pag. 1157. seq. l) Ibid. pag. 1159. seq. m) Quæ videlicet pote in Actis Conc. T. VIII. pag. 1168, n) Crantz Saxon. l. XI. c. 21. ita scribit: SIGISMUNDUS IMP. interim non cessavit apud pontificem instare ut Sacro Concilio auctoritatem impetraretur, revocans translationem, perfecique, ut papa datis desuper literis translationem cassaret, & Basileensi auctoritatem redderet.

Papa Eugenius, Concilium Basileense legitimum, declaravit, translationem vel dissolutionem ejus (*ut AUCTO-RUM ILLORUM* mutar verbo) cassavit, decreta ejus confirmavit, bullas autem contra illud promulgatas revocavit.<sup>a)</sup>

§. XXIV. Litibus itaque hac ratione compositis, à Concilio sessione 21. decretum est: *ne quis quicquam pro collatis beneficiis accipiat, eadem etiam sessione annatae, quamvis post longas altercationes abrogatae sunt.* p) His auditis, Eugenius papa legationem ad Concilium misit, & de abolitione annatarum conquestus est. (ac si illæ absolute ad sustentationem papæ requirerentur, cum tamen paulo ante a Bonifacio IX, instituta sint q) promisit tamen, si alias statueretur modus, per quem necessitatibus pontificum subveniretur, ipsum non preterum annatarum abolitionem.<sup>r)</sup>

§. XXIV. Ipse interim *Eugenius vir in vita varius, qui divina humanaque omnia perturbavit,* s) decreta Concilii denuo violare conatus est, t) & Ferrariae aliud Concilium contra basileenses convocavit; ideo vero à Basileensibus accusatus, citatus, ab officio suspensus tandemque cum resipiscere nollet, post varias disputationes tanquam hæreticus & schismaticus condemnatus, dignitate pontifica privatus; Amadæus vero Sabaudia Dux per majora vota in ejus locum electus est.<sup>u)</sup>

§. XXVI. Legitimum vero fuisse Concilium Basi-leense, ideoque etiam ejus decreta, juxta hypothesin Romanæ

<sup>a)</sup> Act. Conc. ec. pag. 1173. seq. p) lb. p. 1196. q) Vid. §. XVI. r) Aug. patr. hist. Conc. Bas. pag. 1123. s) Verba sunt Platinae, in vita Eugenii IV. t) Confer Glafey p. 543. & seq. u) De his omnibus vid. Acta Conc. Bas. passim uñ & Aenea Sylv. comment. ad Conc. Basil.

manæ Ecclesiæ legitima esse, vel ex eo probatur: quoniam a tribus pontificibus, Martino, Eugenio & Felice, indictum & approbatum est; nec oblitus, quod Eugenius decreta ejus rejecerit, id enim sine sufficienti ratione factum, imo infallibilitati pontificiæ derogat: bis enim eadem approbaverat, aut igitur approbationes illæ legitimæ fuerunt, vel non, si legitimæ, ergo revocari non debuerunt, si illegitimæ; tunc certe infallibilitas pontificis funditus evertitur. Qui plura hac de re scire vult, legat *Æneam Sylv. comment. in Conc. Bas.* præprimis vero Juliani Cardinalis literas ad Eugenium scriptas, ubi & Concilium legitimum, & supra papam esse firmissimis argumentis demonstratur. *x)*

*§. XXVII.* Approbata quoque Concilii decreta sunt a Felice II. quem legitimum fuisse pontificem, ex eo patet, quoniam teste Sylvio a plurimis Cardinalibus more solito electus, & cum deinde ab Imperatore Friderico persuasus pontificatu renunciaret, a Nicolao V. Cardinalis & legatus *Germanie electus est, y)* quod fieri nec debuisset, nec potuisset, si contra legitimum Dominum suum rebellis sedem Petri illegitime occupasset.

*§. XXVIII.* Germani interim nec deposito Eugenio, nec Felici à Concilio electo adhærebant, sed neutrius partis studiosi, tumultuum illorum finem expectandum decernebant, donec tandem *Æneas Sylvius, occultis Eugenii artibus corruptus, Imperatori Friderico persuaderet, ut ipsum Romanum mitteret, & Eugenium (quem antea sibi oppugnaverat) legitimum pontificem agnosceret*

C 3

---

*x)* Omnia enim ipsissimis auctorum verbis allegare institui mei ratio non permitit; sola enim literæ Juliani Cardinalis longiores sunt integra hacce dissertatione. *y)* Platina in Nicolao V.

sceret z) qui etiam statim Aeneam gratitudinis ergo, in numerum secretariorum recepit, subdiaconum apostolicum fecit, & cum fama ferret Ecclesiam Tergestinam vacare, ipsum ejusdem Episcopum designavit a) Hinc qui vis emunctioris nasi facile odorabitur, Aeneam, a Papa clam eo deductum fuisse, ut Imperatori Illa omnia facienda persuaderet; aliud enim Aenea in papam meritum, quare illum repente ita promoverit, allegari non potest.

§. XXIX. Eugenius itaque ab Imperatore Friderico legitimus papa salutatus, publicis literis, Germanicā nationi decreta Concilii Basileensis, quatenus sub Alberto Imperatore recepta erant, observandi potestatem dedit (quoniam natio Germanica hac ratione ex plurimis gravaminibus relevari dicatur) donec per legatum apostolicum vel per Concilium, in quo principes exhortarentur b) ne sedem apostolicam suis juribus spoliatam paterentur; aliter constitutum fuerit. c)

§. XXX. Mortuo interim Eugenio cum Nicolaus V. in ejus locum electus, excommunicationibus in Felicem ageret, is ab Imperatore eo deductus est, ut dignitate se sponte abdicaret, (quoniam nimirum cernebat tantam seditionem & tam diuturnam, Ecclesie Romanae perniciem esse) bulla etiam abdicationem illam firmaret d) sicque Nicolaus sedem pontificiam sine amulo obtinuit.

§. XXX.

z) Platina expressis verbis dicit Aenea industria neutralitatem sublatam esse. Et ut id non verbis tantum sed re ipsa appareat, Imperatorem Aeneam Romanum mississe qui Eugenio publice dicebat e) Germanos omnes in humanis divinisque, ei deinceps obtemperaturos, Plat. in Pio III. a) Ipse hoc testatur Aeneas pag. 478. Plat. in Pio III. b) Hincigit patet, non solum Imperatorem, sed imprimis principes ius habere cum pontifice de iuribus ipsius transigendi, e). Leibn. cod. jur. gent. diplom. p. 391. a) Ibid. p. 372. Cardinales tamen ab

§. XXXI. Confirmato igitur hoc pacto, in sede pontificia Nicolao; is Legatum misit ad Imperatorem Johannem Cardinalem à Latere, qui nomine papæ de juribus ejusdem cum natione Germanica pacisceretur. Hic itaque cum Friderico III. Imperatore **CONCORDATA NATIONIS GERMANICÆ** fecit, quorum hæc fere summa est. I. Papam omnia officia Clericalia, cujuscunque nominis aut ordinis, sine ulla exceptione, quorum possessores in locis ultra duas diætas legales Roma non distantibus obituri sint; eorum, qui per papam sive papæ auctoritatem depositi, translati, aut quorum electio per patronos, à papis quacunque de causa cassata est, denique beneficia & officia omnium officialium Curie Romanae, ordinationi, dispositioni & provisioni sedis pontificiae reservaturum, non obstante quod alias certi quidam patroni jus electionis &c. habuissent. II. In Ecclesiis metropolitanis & cathedralibus etiam sedi pontificie non immediate subjectis, & in monasteriis sedi pontificie immediate subjectis fieri debere electiones Canonicas, quas Papa sibi intra tempus a Nicolao III. constitutum delatas confirmet &c. uti alias usitatum erat. III. Reliqua officia & præbendas, alternatim a papis & certis quibusdam patronis conferri solitas, si mensibus Januario Marlio, Majo, Julio, Septembri & Novembri vacare incipient, PAPA, si reliquis mensibus patroni conferrant. IV. Annate seu medii fructus primi anni, de Ecclesiis Cathedralibus & monasteriis virorum duntaxat à die vacationis solvantur certæ pecunie in libris Camere taxata.

Ipsò creatos in dignitate sua Nicolaus reliquit, quod ipsum Felicem legitimum fuisse pontificem confirmat. confer. Platina in Nicolao V. Accedit quod Nicolaus speciali bulla acta ejus si non omnia sicut maximam partem confirmavit vid. Act. Conc. T. VIII, p. 1307.

taxatæ, si excessive taxatæ sint, retaxentur; taxæ prædictæ, pro media parte infra annum a die habitæ possessionis pacifice totius vel majoris partis solvantur & pro media parte infra sequentem annum, si bis eodem anno vacaverint, semel tantum solvantur, de dignitatibus & beneficiis quibuscumque que auctoritate sedis pontificia conferentur, de quibus providebitur, solvantur infra annum a tempore possessionis, si vero beneficia valorem 24. florenorum aureorun non excedant, annatæ non solvantur. Curratque hæc observatio deinceps, nisi eam similiter, in novo Concilio, de consensu nationis immutari contingat. In aliis autem que per Eugenium IV. pro natione præfata usque ad tempus futuri Concilii permitta indulta atque decreta, & per Nicolaum confirmata fuere, in quantum illæ Concordiæ præsentí non obviant, nihil extitit immutatum. His concordatis a Federico Romanorum Rege & Johanne Cardinali legato subscriptum, eaque horum sigillis firmata sunt e) Principes vero nulli iis subscripti erunt, & quamvis in genere in iis dicatur, consensu plurimorum principum ea facta esse, nec mo tamen qui consenserit nominatur.

§. XXXII. Hæc quidem conœcordata (excepto articulo III.) maximam partem facta sunt inter Martinum V. & nationem Germanicam in Concilio Constantiensi, non vero eum in finem ut perpetuo vim legis obtinerent, nec per eorundem observantiam ullum jus novum Romano pontifici acquireretur, sed elapsò quinquennio quælibet Ecclesia & persona facultatem haberet utendi quolibet jure suo. f)

§. XXXIII.

e) Vid. Leibnit. Cod. jur. gent. diplom. pag. 396.

f) Ibid. p. 384. & seq.

¶. XXXIII. Si vero concordata illa paulo diligenter examinaverimus, facile videbimus eadem iusta & iniqua esse, nulloque modo vim legis obtinere: ut enim plurima quæ contra illa profert possent argumenta silentio præterea alia tantum in medium proferam. I. Pugnat Articulus primus cum ipso Jure Canonico & decretis pontificiis, ex iis enim notum est, *unumquemque qui præbendas & beneficia fundaverit posse sibi reservare ius patronatus*, hoc est nominandi & eligendi aliquem in locum demortui, vel depositi, vel alio translati; hoc vero ius per articulum primum concordatorum penitus infringitur: Idem articulus primus contrariatur decretis Concilii Basileensis, iis quidem, quæ Papa Eugenius IV. approbavit, nec postea ab eodem revocata leguntur. g)

§. XXXIV. Contra idem Concilium quoque impingit articulus IV. in illo enim Concilio decretum est: annatarum tributum, a Bonifacio IX. constitutum & a Pontificibus hactenus usurpatum, penitus abolendum esse, quod etiam Eugenius, si necessitatibus pontificis alia ratione subveniret, se permissurum promisit b) per hunc vero Concordatorum articulum, illa Concilii decreta quæ tamen alias articulis fidei æquiparari solent; violantur.

§. XXXV. Si etiam (ut liberales simus) concedere vellemus aliqua Concilii Basileensis decreta, utope in Pascham duriora; non in omni rigore observanda fuisse, facile tamen quisque videbit; Concordata illa non solum contra

D aliqua

g) Confer, §. XXII. & XXIII. b) Vid. §. XXIII. Germani etiam tempore Alberti Imperatoris abolitionem annatarum approbarunt, & alio quodam modo necessitati pontificis subveniendum esse decreverunt. Confer, act. Conc. Tom. IX. p. 1151.

aliqua Concilii decreta, sed etiam contra ipsum finem, quem Imperator & Principes, cum Papam ad indicendum Concilium compellerent, intendebant, impingere, is enim finis erat, ut abusus tollerentur, *totaque Ecclesiarum in capite quam in membris reformaretur* i) per illa vero Concordata veteres abusus k) non sublati sed illi potius confirmati novigne l) iisdem additi sunt.

§. XXXVI. Sic enim de novo, artic. tertio constitutum est, ut in conferendis beneficiis, quæ alternatim a Papa & Patronis conferri solent, Papa sibi reservet menses Januarium, Martium, Majum, Julium, Septembrem & Novembrem, Patroni vero reliquos menses m) id quod etiam injustitiae notam incurrire videtur, hac enim ratione Papa quotannis 3. dies plus habet ac Patroni, de quo nulla ratio sufficiens; nisi Papæ ambitio & avaritia allegari potest.

## §. XXXVII.

i) Hoc ipse Eugenius facetur litteris ad Conc. scriptis confer. acta Conc. T. VIII. p. 1172      k) Annatae nimurum quem enim in finem tanta auri vis Papæ datur, nisi ut ille hoc modo Germaniam spoliet, Nepotes vero suos (pecuniani illam strenue dilapidantes) diter, si etiam concedamus annatas primis temporibus legitimum usum; debellandis nimurum Turcis (quod tamen non factum) habuisse, eas tamen quasi ordinarium tributum in Concordatis illis a Papa exigi maximus abusus est, primo enim, Papæ pecuniam illam non impenderunt bello turcico. Secundo; nec omni tempore Christianis est bellum cum Turcis, cessante vero causa cessat effetus. Confer, Hordleder, tom. I. c. 1. n. 25. imo ex ipso usu annatarum in quem primo constitutæ leguntur patet, maximum abusum esse quod illæ Papæ exsolvantur, si enim pro bello Turcis inferendo constitutæ sunt tunc fisco Imperatoris, cui perpetuum est si inducias excipias cum turcis bellum, non vero Papæ, qui ne pedem quidem contra eos movet, solvendæ sunt, ea quoque quæ artic. primo Concord. constituta sunt maximum abusum esse quicunque facile videbit.      l) vid. infra §. XXXVI.      m) confer. §. XXXI.

§. XXXVII. Sed quicquid de eo sit, his Concordatis injuste vim legis tribui; ex eo patet. Quoniam a solo Imperatore Friderico (procul dubio ex metu ne Papa ipsi coronationem negaret) & Johanne Cardinali inscia & invita plurima parte Principum (quibus tamen invitatis lex nulla obtrudi potest) facta sunt, id vero exinde probare licet: Quoniam primo nemo plane Principum qui consenserit in Concordatis illis nominatur: Secundo quia nemo eorum iis subscriptis: Tertio quia non in comitiis Imperii sed apud Imperatorem solum facta sunt: Quarto ex literis Aenea Sylvii patet; plurimos Germania Principes; imprimis vero Electorem palatinum ad Rhenum & Marchionem Brandenburgensem; contra concordata illa conquestos esse quorum alterum, Palatinum scilicet hoc modo placare conatur, quod filii Principum multo facilius per sedem apostolicam promovendi sint, quam si methodo consueta per Canonicos sive Capitula electiones fierent <sup>n)</sup> multos insuper Principes contra Papae molimina insurrexisse in eisdem Aenea Epistolis <sup>o)</sup> videre licet.

§. XXXVIII. Quoniam autem nec Imperator nec Papa Monarchicam; vel ut dicunt, absolutam potestatem in Principes Imperii habet, ergo etiam sine eorundem consensu eisdem legibus constringere non potuerunt, unde etiam Concordata illa a Nicolao non per formam legis sub-

D 2 certa

<sup>n)</sup> Crantz. Saxon. LXI. c. 20. Ita de eo scribit. *Laus egregia Friderici, pacem Ecclesie reddidisse, sed aliquanto major si hoc adiecisset operi suo, ut auro provincia non emungantur, vel ut ipse pater Patrum ex auro (quod ex annatis corradis) Christianismum tutaresur, non suos nepotes glorificaret. Hec qualicunque oculo tum Rex ut per omnem etatem reliqua Imperii detrimenta dissimulabat.*

<sup>o)</sup> vid. Epist. CCCXXXIII. & seqq.

certa poena , sed tantum per modum constitutionis edita sunt , cum tamen si obligandi vim habere deberent; ad minimum pacti loco habenda essent , quod vero per modum constitutionis fuerint edita , indubium nobis argumentum est ipsum Nicolaum vim obligantem pacti in iis non agnovisse , quod vidit etiam Dietherus Archiepiscopus Moguntinus ; & anno 1461. annatas solvere detrectavit , scribens ad ipsos Principes : ut natio Germanica ab oneribus curiae Romanae contra decreta Conciliorum Constantiensis & Basileensis demum communis animorum consensu se exoneraret . Neque morari quemquam possunt , quæ teste Schiltero his Papa opposuit dum Decano & Capitulo Moguntino scribens de Dithero quarebatur , atque si is , secundum Apostolicam humiliare & Imperialem evehere vellet , subjungens , quod vera etiam in Papam dicere , esset contra juramentum Episcoporum , nos autem Dietherro volenti dare Cæsari quæ sunt Cæsariorum , vitii nihil imputandum esse existimamus .

§. XXXIX. Pacti etiam nomine Concordata illa venire , ideoque Germanos obstringere non posse , vel ex eo facile quisque videbit , quoniam ut supra ostendimus p.) illa invita plurima Principum parte facta sunt , ad pacatum vero legitimum ; utriusque partis consensum requiri notum satis est , nec ulla eget probatione : Neque obstat quod consentiente Imperatore facta sint ; illum enim de rebus hisce maximi momenti , ad status Imperii pertinentes absque eorundem consensu pacisci nullatenus posse , usus & experientia confirmat .

§. XL. Quamvis autem concordata illa nationem Germanicam maxime gravarent eique molesta admodum essent ,

p.) Vid. §. XXXVII.

essent, nihilominus tamen ad explendam Pontificum avaritiam & ambitionem nequaquam suffecerunt, sed illi semper plus ultra progressi, ea quæ ipsi in concordatis servare promiserant, sàpius violarunt: *Constat enim (verba sunt Meyri, Moguntini Præsulis Cancellarii; ad Æneam Sylvium Cardinalem Senensem) Elecciones Cardinalium passim rejici, dignitates & beneficia cuiuscumque qualitatis, Cardinalibus reservari, & tu quidem ad tres provincias teutonici nominis sub ea formula reservationem impetrasti, quæ hactenus insolita & inaudita sunt, annatæ etiam sine ulla dilatione temporis exiguntur, plus etiam quam debetur extorqueri palam est, Ecclesiarum reginina non magis merenti sed plus offerenti committuntur, ad corradendas pecunias novæ indulgentia in dies conceduntur causæ quæ trāndæ terminandæque in partibus fuerant ad apostolicum tribunal in distinckte trahuntur excogitantur mille modi quibus Romana Ecclesia aurum a nobis tanquam barbaris subtili extrahat ingenio: q) quæ certe omnia vel concordatis. A Nicolao factis, vel saltet decretis Concilii Basiliensis ab Eugenio nationi Germanicæ indultis, & a Nicolao in quantum ipsius concordatis non repugnant confirmatis r) è diametro contrariantur..*

¶. XLI. De veritate eorum quæ Meyrus querebatur, & reverentia quam pontificii sedi Romanæ exhibere solent; & ipsa Ænea ad illum responsionos dubitare non patitur, in illa enim maximam gravaminum partem fate ri cogitur, esto ea vel extenuet, vel etiam Curiam Romanam excusare, imo aliqua ejus contra concordata mo-

D 3

limina

q) Vld. literæ Meyri in opp. Æneæ pag. 1035.

r) Confer. §. XXXI.

limina legitima pronunciare conetur : tandem ridiculo  
plane argumento Germanos pontifici omnia quæ postu-  
lat solvere debere probat. I. *Quia Christiana Religio per*  
*pontifices in Germania sit plantata :* II. *Quia imper-*  
*rium Romanum per papas in Germanos sit translatum,*  
posterior falsum esse jam supra probavimus s) prioris  
veritatem examinare jam nolumus, sed si ejusmodi  
fundamento tantæ exactiones faciendæ sint, quare pri-  
ores Pontifices, annatas aliaque tributa non exegerunt,  
cum constet Bonifacium IX. id tributi genus vel invenisse,  
vel saltem ejus solutionem acrius uruisse. Papæ etiam gra-  
titudinis ergo longe majora beneficia ab Imperatoribus  
Germanorum quam ab aliis populis impetrarunt, ii enim,  
ut ipsi pontifices fatentur ejectis longobardis, ipsis multas  
in Italia terras permiserunt, ideoque tanta pecunia vis  
gratitudinis loco ipsis extorquenda non est. Argumenta  
quoque Sylvii quibus Pragmaticam Sanctionem (quam tum  
temporis, Germani cum Pontifice inire t) ipsiusque do-  
minandi cupidini certas limites ponere voleant, rejicere  
contendit; levia satis sunt; dicit enim eandem duabus de  
causis respuendam esse, I. *quod ingratitudinem detestan-*  
*dam sapiat*, sed suum cuique tribuere quod per sanctio-  
nem pragmaticam factum fuisset, ingratitudinem sapere  
non videtur. II. *Quod sedi apostolice non tantum, sed*  
*etiam universæ religioni Christianæ contraria sit*, natio-  
nem enim Germanicam per tales Sanctionem Ecclesiam  
Romanam matrem suam jugulaturam; hoc si verum est,  
quare igitur pontifices, Romanam Ecclesiam a Gallo quem  
tamen primogenitum Filium appellant, hoc modo jugu-  
lari passi sunt, cum ille Sanctionem pragmaticam nonso-  
lum

s) Confer. §. XI.

t) vid. platina in vita Pi. II.

lum fecerit, sed eadem etiam longo tempore contra pontifices defenderit: Si igitur Galli Romano Pontifici non per omnia obediunt nec ipsi tantum quantum ipse postulat tribuunt, tunc nec Germani, quoniam similium similis ratio est, ad id obstringi poterunt.

§. XLII. Cum igitur, Germani uti ex literis Meyti supra allegatis constat, de violatione Concordatorum maxime conquererentur, Calixtus III. aliquot Epistolis in Germaniam missis, se vitiis in aula Romana subrepere solitis medelam facturum, partibus gravatis opem laturum, & Concordata observatarum v) quidem promisit, sed eadem denuo vel ab ipso vel ab ejus successoribus fracta & violata esse certum est, natio enim Germanica ab aula Romana variis exactionibus & injuriis ita premebatur ut, querelas contra gravamina nationis & infractiones concordatorum in dieta confluentina 1479. nomine totius Cleri, Moguntinensis, Coloniensis & Trevirensis Dicecessum proponere, easque Romanam deferre cogeretur. E quibus patet omnia fere in Concordatis constituta, vel per eadem confirmata, a Pontificibus eorumve Ministris violata esse. x)

§. XLIII. Nec hic malorum finis, Pontifices enim, nec posteriori tempore concordata illa observasse, ex eo patet quoniam Germani temporibus Caroli V. de pontificum infractionibus conquesti sunt y) eademque Concordata a frequentibus Papis violata esse innuere videtur. Capitu-

v) Vid. lit. Aeneas Sylv. CCCXLV. aliaeque. x) Ipsae quetela prolixæ satis sunt & 26. articulis constant, ideoque hic inseri non possunt, videndæ itaque sunt, ap. Leibn. Cod. iur. gent. diplom. p. 439. y) in Comitiis Notimbergensibus vid. Hordleder von Ursachen des teutschen Kriegs. I. I. c. 1.

pitulatio Josephi Imperatoris , qua constituitur ut Rex Romanus curam adhibeat ne concordata illa in posterum a Papis violentur.

§. XLIV. Quoniam itaque ex dictis patet , Concordata nationis Germanicæ , a solo Papa & Imperatore absque consensu Principum facta z) ipsisque Pontificum & Conciliorum decretis a) contraria , nec vim legis nec pacti habere b) & denique ab ipsis Pontificibus saepius violata esse. c) Nationem Germanicam ad servanda Concordata illa non teneri ; sed Sanctionem pragmaticam , sine ulla quidem injustitiae suspicione , condendi , jus habere concludo.

Atquæ hæc pro exiguo ingenii mei modulo , rerumque gestarum peridia , contra Concordata Nationis Germanicæ , & Pontificis in Germanos Tyrannidem , in medium proferre volui ; Si quis harum rerum peritor , easdem ex solidioribus fundamentis probare , & veritati majorem lucem affundere velit , officium mihi præstabit longe gratissimum.

z) Vid. §. XXXVII.


a) §. XXXIII.

XXXIV. & XXXV.

b) §. XXXVIII & XXXIX.

c) §. XL. & XLIII.

F I N I S.



Marburg, Dr. 95., 1731-35







770.

HG. 23.

77345.

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O HISTORICO - POLITICA,  
DE  
**CONCORDATIS NA-  
TIONIS GERMANICÆ,**

QVAM  
AVSPICIIS  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
**DOMINI FRIDERICI**  
HASSIAE LANDGRAVII, RELIQ.  
ACADEMIAE  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

PRÆSIDE  
**IOH. ADOLPH. HARTMANNO**

HIST. ET ELOQ. PROFESSORE,  
IN PHILOSOPHORVM AUDITORIO  
PLACIDÆ DD. COMMILITONVM DISQVISITIONI  
AD DIEM XXV. SEPTEMBRIS MDCCXXXIV.  
PROPONET

**JOH. IVST. CHRISTOPH. KVCHENBECKER,**  
S. TH. & H. C. CARLSHAVIA - HASSVS,  
AVCTOR & RESPONDENS.

MARBVRGI CATTORVM,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR. ET BIBLIOP.